

## Vbi extat mandatum de baptismo?

Matthaei vltimo: „Euentes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filij et Spiritus sancti.“<sup>226</sup>

## Vbi traditur promissio de baptismo?

Marci vltimo: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Qui non crediderit, condemnabitur.“<sup>227</sup>

## Quis debet esse vsus baptismi in tota vita?

Principalis vsus huius mersionis est in omni conuersione ad Deum et in tota [125:] vita testificatio, qua confirmatur ille, qui sic mersus est, se recipi in gratiam a vero Deo, qui est aeternus Pater, Filius et Spiritus sanctus, et recipi se propter Filium et sanctificari Spiritu sancto. 10  
Deinde accedunt et fines alij, quod baptizatus recipitur ab ecclesia tanquam eius membrum. Testatur suam confeßionem, discernit se ab omnibus alijs sectis. Admonetur per omnem vitam hac ritu, se ablutum sanguine Filij Dei et Spiritu sancto obligatum esse ad vitae nouitatem, mergi in afflictiones et certo se ex illis emersurum esse.<sup>228</sup>

<sup>226</sup> Mt 28,19.

<sup>227</sup> Mk 16,16.

<sup>228</sup> Vgl. Röm 6,4.